

## D. 5 &lt;SECTIO DECIMA SEPTIMA: Vb 122va-29va&gt;

## A. &lt;Divisio Textus.&gt;

“Post haec quaeritur” etc. Postquam Magister comparavit actum generationis ad terminum in concreto, hic comparat eundem actum ad terminum in abstracto. Et circa hoc duo facit. Primo namque quaestionem proponit; secundo quaestionem dissolvit, ibi: “Ad quod catholicis”. Dicit itaque primo /Vb 122vb/ quod hic quaerendum est utrum sit concedendum quod Pater genuerit divinam essentiam, vel quod divina essentia genuerit Filium, vel quod essentia genuerit essentiam; an quod sit simpliciter negandum quod nec genuit nec genita est. Et sit quaestio trimembris, videlicet utrum essentia genuerit essentiam, vel genuerit Filium vel genita sit a Patre. Et potest reduci ad duo membra, utrum scilicet divina essentia generet vel generetur.

2 Postmodum ibi: “Ad quod catholicis”, Magister respondet ad quaestionem, et facit tria. Primo namque primum membrum pertractat, scilicet utrum Pater genuerit essentiam; secundo vero alia duo membra, scilicet utrum divina essentia genuerit Filium vel essentia essentiam; tertio vero instat contra solutionem totius quaestionis. Secunda ibi: “Ita etiam non est dicendum”. Tertia ibi: “Huic vero”. Circa primum duo facit: Primo namque primum membrum quaestionis dissolvit; secundo auctoritatem Augustini contra solutionem inducit, ibi: “Huic tamen videtur contrarium”. Adhuc circa primum facit quatuor. Primo quidem quaestionem solvit dicens quod catholicis tractatoribus inhaerendo dicendum est quod nomine essentiae, intelligendo divinam naturam quae tota est singulis et communis est tribus, tenendum est quod nec Pater genuit eam, nec ipsa Filium, nec ipsamet genita est a se ipsa.

3 Secundo ibi: “Ideo non est dicendum”, inducit primam rationem ad hoc, quae talis est: Constat quod divina essentia numquam indicat nisi essentiam, nec accipitur relative. Sed si Pater genuisset divinam essentiam, essentia relative diceretur ad Patrem. Ergo nullo modo genuit eam.

4 Tertio ibi: “Item, cum Deus”, inducit secundam rationem, quae talis est: Nulla res se ipsam genuit. Sed Pater nihil aliud est quam divina essentia, nec divina essentia est aliud quam Pater. Ergo Pater non genuit essentiam divinam.

5 Quarto ibi: “Item, si Pater”, inducit tertiam rationem, quae talis est: Pater et est et Deus est formaliter ipsa divina essentia. Sed nulla res generat illud quo formaliter est. Ergo Pater non generat essentiam divinam. Et confirmat Magister ex modo arguendi Augustini, qui probat quod Pater non est sapiens sapientia genita, quia cum idem sit Deo esse et sapientem esse sequeretur quod esset eo quod genuit, quod impossibile est.

6 Postmodum ibi: “Huic tamen”, inducit Magister auctoritatem Augustini contra praedicta, qui ait quod Deus Pater genuit id quod ipse est. Constat autem quod illud est divina essentia. Ergo secundum eum genuit divinam essentiam. Respondet autem Magister quod ly ‘illud’ vel ly <‘id’> [‘illud’ Vb] tenetur pro Filio, ut sit sensus “Pater genuit id quod ipse est”, quod genuit Filium qui est idipsum substantialiter cum eo.

7 Postmodum ibi: “Ita etiam”, pertractat alia duo membra quaestionis. Et facit tria. Primo namque dicit quod ita parum debet concedi quod divina essentia genuit Filium, quia, cum Filius sit ipsa essentia, generaretur a re illa quae est, et ita idem gigneret se. Pari etiam ratione concedi non debet quod essentia sit genita ab essentia, ne confiteri compellamur quod eadem res sit genita a se ipsa.

8 Secundo ibi: “Praedictis autem”, Magister obicit contra istam solutionem per tres auctoritates. Prima est Augustini, VII *De trinitate*, capitulo 4, qui ait quod Filius est de Patre “sapientia de sapientia, sicut essentia de essentia”. Secunda est eiusdem, *De fide ad Petrum*, capitulo 6,

dicentis quod deitatem Christi non dubitandum de natura Patris natum esse. Tertia est eiusdem, XV *De trinitate*, 20 capitulo, dicentis quod Filius est de Patre “consilium de consilio, voluntas de voluntate, et substantia de substantia”.

9 Tertio ibi: “Sed haec ita”, respondet Magister dicens quod omnia illa nomina supponunt pro personis, ut sit sensus “essentia de essentia” quod Filius qui est essentia est de Patre qui est essentia. Unde intelligitur quod ille qui est essentia, sapientia, consilium, voluntas, genuit illum qui est omnia ista. Et quod haec expositio competens sit et vera patet ex dictis eiusdem doctoris egregii Augustini, qui simili modo exponit. Ait enim quod Filius dicitur sapientia Patris et lumen Patris, id est “lumen de lumine, sapientia de sapientia, et essentia de essentia”, quia singulus est lumen et singulus est sapientia et singulus est essentia.

10 Postmodum ibi: “Huic vero”, Magister arguit contra determinationem praefatae quaestionis, et primo per auctoritates Hilarii, secundo auctoritatibus Augustini. Secunda ibi: “Dicitur quoque”. Circa primum duo facit. Primo namque adducit contra se quatuor auctoritates Hilarii: Primam quidem quae dicit quod nihil habet Filius nisi natum. Et cum habeat divinam essentiam, videretur ex hac auctoritate quod essentia divina sit nata. Secundam vero quae dicit quod Dei nativitas non potest tenere naturam ex qua profecta est. Ex qua videtur sequi quod Dei nativitas sive Deus natus sit profectus et productus ex natura. Tertiam inducit quae ait quod “naturam genitam naturaliter in se gignentem habuisse naturam”. Ex qua videtur sequi quod natura genuerit et sit genita. Quartam vero quae dicit quod “nativitas unigenita in naturam unigenitam subsistit”. Et ita videtur quod natura Dei sit unigenita.

11 Secundo vero ibi: “Sed quia haec verba”, respondet Magister ad istas auctoritates dicens quod, iuxta verba eiusdem Hilarii, intelligentia dictorum assumi debet ex causis dicendi. Prima ergo auctoritas, “nihil habet Filius nisi natum”, debet intelligi quod nascendo accepit naturam et quicquid habet, non autem quod natura sit nata. Et hoc probat auctoritate eiusdem Hilarii dicentis quod “eandem naturam habet genitus quam ille qui genuit”, nam in generatione Filii naturam suam sequitur indemutabilis Deus, ut sic intelligamus in Filio naturam subsistentem quam accepit a Patre nascendo; ipsa tamen natura non est genita ullo modo.

12 Postmodum ibi: “Dicitur quoque”, Magister inducit contra se auctoritates Augustini. Et facit tria. Primo namque inducit quinque auctoritates: Primam quidem quae ait quod “Pater de sua natura genuit Deum Filium”. Ex qua videtur, cum natura Patris et Filii sit eadem, quod Filius sit genitus de natura sua, quinimmo de natura trinitatis. Secundam vero inducit quae ait quod Filius caritatis Dei nullus est alius quam qui de substantia Patris est genitus. Unde vocat eum “Filius substantiae Patris”. Tertiam quoque et quartam et quintam inducit, quae omnes idem dicunt, scilicet quod Filius est de substantia Patris natus, et Filius substantiae Patris.

13 Secundo ibi: “His verbis praemissis”, Magister praefatas auctoritates exponit, dicens quod haec verba mirabiliter movent ipsum. Sed respondet dicendo quod in omnibus istis auctoritatibus tenetur substantia pro persona, ut sit sensus “Filius est de natura Patris”, quod est de Patre-natura et de Patre-substantia. Et quod iste sit intellectus Augustini declarat, quia ipsemet sic exponit. Ait enim quod “non de **Vb 123rb**/ aliqua materia nec de nihilo est Filius, sed de quo est genitus”. Similiter “Spiritus Sanctus non est de nihilo aut de aliqua materia, sed inde est unde procedit”. Et ita patet quod illae auctoritates, quae dicunt Filium esse de substantia Patris, debent intelligi quod Filius est de Patre.

14 Tertio ibi: “Ostenditur quoque”, Magister dat alium intellectum harum auctoritatum, dicens quod intentio est Augustini per hoc ostendere quod Filius et Spiritus Sanctus non sunt de nihilo, sed nec de aliqua materia, immo de aliquo, non quidem materialiter, sed principiative et consubstantialiter. Et hoc probat auctoritate Hilarii. Non est ergo intellectus auctoritatum quod Filius sit genitus de substantia, aut materialiter aut principiative, sed quod natus est de Patre-

substantia. Et ad hoc adducit quatuor auctoritates Augustini quae patent in littera. In fine autem concludit quod solus Dei Filius dicitur natura Filius, ad differentiam nostri, qui sumus filii per adoptionem. Dicitur autem natura Filius, non quia natura Filium genuerit, sed quia eandem naturam habet cum Patre.

Haec est Sententia.

## **B. <Quaestio Decima Septima:> Utrum essentia in divinis aliquo modo generet aut generetur.**

15 Et quia Magister hic inquirat quomodo actus generationis conveniat essentiae, idcirco quaerendum occurrit utrum aliquo modo sit concedendum quod essentia in divinis generet aut generetur.

### **1. Quod essentia proprie generet et generetur in divinis sic quod prout est in Patre generet, et prout est in Filio generetur.**

16 Et videtur quod essentia prout est in Patre proprie generet et prout est in Filio proprie generetur. Quandocumque enim aliqua sunt unum et idem realiter omni modo, si unum capit esse, et reliquum. Sed essentia divina et Filius sunt unum et idem realiter, et Filius accipit esse per generationem. Ergo et essentia prout est in Filio accipit esse, et per consequens generatur. Similiter, prout est in Patre, est eadem res cum Patre. Igitur generabit.

17 Praeterea, generatio realis egreditur a re et terminatur ad rem. Sed generatio in divinis realis est, et egreditur a Patre et terminatur ad Filium. In Patre autem nulla alia res est nisi essentia; nec in Filio etiam. Igitur generatio egreditur a re essentiae ut in Patre et terminatur ad rem essentiae ut est in Filio, et per consequens generat ut in Patre et generatur ut in Filio.

18 Praeterea, licet eadem persona non possit esse generans et genita, eadem tamen essentia potest. Alioquin Pater et Filius non possent esse idem essentialiter, sicut nec personaliter. Sed nulla alia causa assignatur quod essentia non generet et generetur, nisi quatenus essentia eadem conservetur. Quod esse non posset si eadem generaretur et generaret. Igitur cum possit eadem res essentialiter producere et produci, quamvis non eadem res personaliter, non apparet cur essentia non generetur ut in Filio et generet ut in Patre. Et confirmatur ex hoc quod Augustinus dicit quod nulla res se ipsam gignit, accipiendo rem pro persona; nam pronomen reciprocum refert personam. Non dicit autem quin res possit generare eandem rem. Unde nullum inconveniens sequitur quod essentia divina replicetur seu triplicetur, manens eadem essentia, quamvis ex hoc sit alia persona.

19 Praeterea, nihil aliud videtur Pater quam essentia generans, nec Filius quam essentia generata, sicut Filius dicitur sapientia genita et Pater sapientia generans. Sed tale proprie dicitur /Vb 123va/ generare et generari. Ergo videtur quod essentia, ut in Patre proprie generet et ut in Filio proprie generetur; immo non sit aliud Pater quam deitas ut ab ea egreditur generatio, nec alius Filius quam deitas ut generatur.

20 Praeterea, non est tutum nec securum quod a sanctorum sententiis devietur. Sed omnes sancti concedunt hoc. Nam Augustinus, *De fide ad Petrum*, ait quod “Pater genuit id quod est”; et VII *De trinitate* dicit quod Filius est “essentia de essentia”; et *De fide ad Petrum* dicit quod “deitas Christi nata est de natura Patris”; et XV *De trinitate*, capitulo 20, ait quod Filius est “substantia de substantia”. Hilarius quoque dicit quod “quicquid habet Filius natum est”. Et breviter omnes sancti concedere hoc videntur. Ergo non est securum hanc propositionem negare.

21 Praeterea, tantae auctoritatis videtur Richardus de Sancto Victore quantae Magister *Sententiarum*. Sed Richardus dicit, VI *De trinitate*, capitulo 22, quod “nihil aliud est Patris

persona quam substantia ingenita, et nihil aliud Filii persona quam substantia genita”. Et subdit contra Magistrum *Sententiarum* et discipulos eius quod “multi temporibus nostris surrexerunt qui non audent hoc dicere, quin potius et multo periculosius contra sanctorum patrum auctoritatem, et tot attestaciones paternarum traditionum audent negare, ad illud quod dicunt auctoritatem invenire non possunt. Ad hoc autem quod dicimus auctoritates multas etiam ipsi adducunt, et in morem Goliae, gladium quo inguluntur deferentes, ad certamen\* procedunt; sed dicunt, si Filii substantia est genita Patris vero ingenita, quomodo utriusque erit una eademque substantia? Profecto aliter est in natura divina, aliter in humana. In humana namque, si substantia alicuius sit genita alicuius vero ingenita, absque omni contradictione consequens erit ut alia sit substantia; in divina vero natura unius substantia est ingenita et alterius genita; nec tamen consequens est ut sit alia et alia substantia, sed alia et alia persona”. Haec Richardus. Ergo non videtur quod auctoritas Magistri sequenda sit in negando hanc propositionem.

## 2. Quod essentia divina generetur, saltem subiective.

22 Ulterius videtur quod essentia in divinis saltem generetur subiective et quasi materialiter. Illud enim de quo gignitur generatum, generatur subiective. Dicit enim Philosophus, V *Physicorum*, quod thorax dicitur sanari; et VII *Metaphysicae* quod compositum fit per se, forma autem et materia generantur per accidens. Sed Augustinus dicit, *De fide ad Petrum*, capitulo 3, quod “Pater de natura sua genuit Filium”; et Contra Maximianum, libro II, capitulo 1, ait: “Non vere Filium Dei cogitatis, si de substantia Patris natum eum negatis”. Et in pluribus locis testatur quod Filius non est genitus de nihilo aut de nulla substantia, sed de substantia Patris. Ergo videtur quod substantia seu essentia generetur quasi materialiter et subiective. Et confirmatur quia haec praepositio ‘de’ communiter importat habitudinem causae materialis.

23 Praeterea, illud videtur habere rationem quasi materiae et generari subiective, quod manet idem in tota transmutatione. Sed essentia divina manet eadem sub utroque termino generationis. Est enim eadem in Patre generante et in Filio genito. Ergo generatur essentia subiective, ut videtur.

24 Praeterea, sicut videmus in creaturis quod sunt tria, videlicet /Vb 123vb/ materia, forma, compositum, sic in Filio generato sunt quasi tria, videlicet essentia, relatio, et Filius. Sed constat quod filiatio est forma et Filius quasi compositum. Ergo relinquatur quod essentia sit quasi materia, et per consequens quod generetur subiective.

25 Praeterea, omni potentiae activae correspondet potentia passiva. Sed constat quod in Patre est potentia activa qua generat. Ergo in Filio erit passiva potentia qua generatur. Sed illa esse non potest nisi essentia. Restat igitur quod essentia sit quasi passiva et materialis potentia, et per consequens quod generetur subiective.

26 Praeterea, constat quod Filius non creatur in divinis. Sed crearetur, nisi generaretur ex essentia tanquam ex materia. Omne enim quod fit ex nihilo sive ex nulla materia dicitur creari. Ergo necesse est quod Filius generetur ex divina essentia quasi materia, et per consequens generabitur essentia subiective.

27 Praeterea, passiva generatio in aliquo priori Filium antecedit; aut igitur ut praecedens in se ipsa subsistit, aut in essentia existit. Constat autem quod non subsistit, quia nulla relatio potest subsistere secundum Augustinum. Existit igitur in essentia. Sed omne in quo est passiva generatio dicitur generari aliquo modo. Ergo essentia generatur subiective.

28 Praeterea, illud quod est in Filio per modum subiecti, generatur subiective. Sed essentia est in Filio per modum subiecti respectu filiationis, cum filiatio fundetur in ea, secundum Doctores. Ergo generabitur subiective.

29 Praeterea, si ignis generaret alium ignem de parte substantiae, ignis se haberet in genito quasi materia secundum partem sui. Sed idem est si generet de tota substantia. Ergo Deus, qui de tota sua substantia generat Filium, videtur secundum totam substantiam habere rationem materiae respectu Filii.

30 Praeterea, illud quod recipit in se formam per generationem generatur subiective. Sed essentia divina recipit quasi super se formam relativam per generationem. Igitur subiective generatur.

31 Praeterea, si ignis generaret alium ignem de materia sua sicut de aliena materia, non dubium quod sua materia se haberet modo passivo. Et similiter si Pater caelestis generaret Filium de substantia aliena sicut nunc generat de sua substantia, non dubium quod aliena substantia per modum materiae se haberet. Sed accidit rationi materiae quod sit aliena vel propria. Ergo videtur quod Pater generet Filium de substantia quasi de materia, et sic essentia generabitur subiective.

### **3. Quod divina essentia generetur obiective et per modum formalis termini.**

32 Ulterius videtur quod essentia generetur per modum formalis termini et quasi obiective. Omne enim quod datur alicui per generationem est formalis terminus et id cui datur. Sed essentia divina datur Filio per generationem, secundum illud Salvatoris Ioannis 10: "Pater quod dedit mihi, maius omnibus est". Ergo essentia generatur per modum formalis termini.

33 Praeterea, aut formalis terminus generationis est filiatio aut essentia in divinis. Non potest poni quod filiatio, tum quia *V Physicorum* dicitur quod ad relationem nulla productio directe terminatur; tum quia productiones denominantur ex terminis, ut dealbatio ab albedine et calefactio a calore, et ita productio Filii, terminata ad relationem tanquam ad terminum formalem, magis deberet dici ad-aliquatio quam generatio. Ergo relinquitur quod essentia sit terminus formalis.

34 Praeterea, illud est formalis terminus **/Vb 124ra/** cuiuslibet generationis in quo generans et genitum assimilantur, ut patet quod ignis assimilatur sibi combustibile, et sic de omni generante. Sed Pater et Filius assimilantur in essentia. Igitur essentia est terminus formalis.

35 Praeterea, illud quod est in Filio per modum quiditatis, non per modum materiae, videtur generari per modum termini formalis. Sed essentia est in Filio per modum quiditatis. Ad interrogationem namque factam per 'quid' de Filio, respondetur quod est Deus. Ergo deitas est formalis terminus in generatione Filii.

36 Praeterea, Pater generat Filium generatione univoca. Alioquin erit nobilior Filio, quia causa aequivoca est nobilior suo effectu. Sed non potest poni generatio univoca nisi essentia ponatur formalis terminus. Pater namque et Filius univocantur in essentia et in proprietatibus relativis. Igitur id quod prius.

37 Praeterea, quicquid est perfectionis potest poni in divinis. Sed generari modo formae perfectionis est. Igitur essentia generari potest modo formalis termini.

38 Praeterea, non potest tolli quod aliquid non fiat ex nihilo, et per consequens non creetur nisi quatenus aliqua pars ipsius praecedit. Sed quod praecedit <in> [de Vb] Filio non potest habere modum materiae. Ergo necesse est quod habeat modum formae, et per consequens quod sit formalis terminus generationis.

39 Praeterea, formalis terminus generationis et formale principium videntur proportionari. Sed secundum omnes essentia est in Patre formale principium generandi. Ergo erit in Filio formalis terminus generationis.

40 Praeterea, illud videtur formalis terminus generationis, ad quod acceditur per generationem. Sed secundum nostrum modum intelligendi ad essentiam acceditur per generationem. Capit enim Filius quod sit Deus per generationem. Igitur videtur quod essentia sit terminus formalis generationis.

#### **4. Quod possit dici essentiam generari, saltem supponendo pro persona.**

41 Ulterius videtur quod essentia possit supponere pro persona et ita quod possit dici generare et generari. Aequae enim abstractum nomen videtur sapientia sicut essentia; et iterum lux et lumen aequae videntur abstracta. Sed proprie dicitur sapientia genita et lumen de lumine et lux de luce, pro eo quod ista supponunt pro persona. Ergo a simili poterit dici quod essentia generat, vel est genita, supponendo pro persona.

42 Praeterea, quodcumque aliqua sunt unum et idem realiter, unum potest pro alio supponere. Sed essentia et persona sunt idem realiter. Igitur potest essentia supponere pro persona.

43 Praeterea, Magister in praesenti Distinctione exponit auctoritates, quae dicunt quod in divinis est essentia de essentia pro persona. Ait enim hunc esse intellectum quod Filius-essentia est de Patre-essentia. Sed hoc esse non posset nisi essentia supponeret pro persona. Igitur id quod prius.

44 Praeterea, quodcumque aliquid est de intellectu alterius, potest supponere pro illo. Sed essentia in suo intellectu claudit totam personam, quia non potest concipi sine proprietatibus. Ergo potest supponere pro persona.

45 Praeterea, Deus et deitas nullo modo differunt in divinis. Sed Deus potest supponere pro persona dicendo: Deus genuit Deum. Ergo et deitas.

#### **5. Quod essentia non possit aliquo modo dici generare vel generari.**

46 Sed in oppositum videtur quod definit Concilium extra De summa trinitate et fide catholica in capitulo "Damnamus". /Vb 124rb/ Ait enim Papa quod "sacro approbante Concilio" confitetur cum Petro "quod una quaedam summa res est in divinis", quae nec generatur nec generat nec procedit, "sed est Pater qui generat et Filius qui gignitur et Spiritus Sanctus qui procedit".

47 Praeterea, Augustinus dicit, I *De Trinitate*, capitulo 1, quod "nulla res se ipsam gignit ut sit". Sed essentia divina verissime est Pater. Ergo impossibile est quod Pater generet divinam essentiam.

48 Praeterea, inter generans et genitum est distinctio realis. Sed nihil quod sit in divinis habet distinctionem realem ad essentiam. Ergo nihil quod sit in divinis generat essentiam.

49 Praeterea, omne generatum relative dicitur ad generans. Sed essentia non dicitur relative. Ergo illud quod prius.

50 Praeterea, ad hoc sunt rationes quas Magister ponit in littera et auctoritas sua. Non debet igitur aliquomodo concedi quod essentia generetur vel generet.

## C. <Responsio ad quaestionem.>

51 Ad quaestionem istam respondendo hoc ordine procedetur. Primo namque recitabuntur opiniones Doctorum circa istam materiam. Secundo eligitur conclusio Magistri et generalis Concilii, impugnando opiniones praedictas sub quatuor propositionibus negativis. Tertio ostendetur quod generatio activa non est aliquid elicatum in divinis, nec est aliquis formalis terminus quo Filius generetur passive; et quod ex imaginatione opposita procedunt praefatae opiniones, quae videntur a Concilio deviare. Quarto ostendetur quomodo se habeat essentia ad generationem.

### 1. Articulus primus. <Opiniones Doctorum>.

#### a. Opinio Petri Iohannis <Olivi>.

52 Circa primum ergo considerandum est quod aliqui distinguere voluerunt de essentia prout est quid commune, et prout est propria cuilibet personae, dicentes quod in quantum communis est nec generat nec gignitur nec procedit; in quantum autem propria est, Pater generat, immo non est aliud Pater nisi essentia generans; in quantum autem est in Filio, gignitur, immo non est aliud Filius quam essentia genita; in quantum est in Spiritu Sancto, ita procedit ut non sit aliud Spiritus Sanctus quam essentia divina procedens. Imaginati sunt ergo isti quod essentia divina se totam generat, manente identitate essentiali, posita tamen distinctione personali, ut secundum hoc trinitas non sit aliud quam essentia replicata aut triplicata. Ipsa enim generat et sic est Pater, ipsa generatur et sic est Filius, ipsa procedit et sic est Spiritus Sanctus, ita quod essentia distinguitur ab essentia, non essentialiter sed personaliter. – Pro hac autem opinione est expresse Richardus de Sancto Victore et rationes sex supra primo loco arguendo inductae.

#### b. Opinio Henrici, Garronis, Durandi.

53 Fuerunt autem alii qui dixerunt quod divina essentia nequaquam attingitur directe per generationem ut quasi replicetur, sed dicitur generari per accidens, eo modo quo materia et subiectum dicitur fieri per accidens et compositum per se, ut Philosophus dicit, VII *Metaphysicae*. Imaginati sunt ergo isti quod in persona Filii est divina essentia, quasimodo fundamenti respectu filiationis, et filiatio modo formae; et per consequens quod Filio genera-  
/Vb 124va/-to per se, essentia generetur per accidens quasi subiective ad modum materiae. – Pro hac autem opinione sunt decem rationes, superius arguendo secundo loco inductae.

#### c. Opinio Scoti.

54 Fuerunt quoque alii qui dixerunt quod divina essentia, cum sit actualissima, non potest habere rationem materiae respectu filiationis, nec filiatio actualitatem ipsam ut habeat modum formae. Est igitur in persona Filii essentia per modum quiditatis, nec habet se relatio per modum materiae, nec essentia propter identitatem realem in quam\* transeunt; et quia generatio debet habere pro formali termino substantiam, idcirco formalis terminus divinae generationis est essentia, ut quasi essentia sit id quo Filius formaliter generatur. – Haec autem opinio fulciri potest octo rationibus, superius arguendo tertio loco inductis.

#### d. Opinio Hervaei.

55 Fuerunt vero alii qui dixerunt quod terminus potest accipi quantum ad id quod est, vel in quantum est terminus. In quantum enim est terminus dicitur relative ad alium terminum, puta terminus ad quem ad terminum a quo. Est autem terminus a quo in omni generatione non esse sive privatio formae, terminus autem ad quem ipsa forma. Et quia in divinis nullo modo est, nec secundum rem nec secundum rationem, non-esse essentiae cum sit summe necessaria, poni non

potest quod sit formalis terminus generationis, in quantum terminus ad quem formaliter refertur ad non-esse formae tamquam ad terminum a quo; et propter hoc terminus, in quantum terminus, non competit essentiae divinae in ordine ad generationem. Sed quia id quod est terminus est forma, deitas autem est in Filio per modum quiditatis et formae, idcirco illud quod est terminus competit essentiae. Imaginari namque possumus divinam generationem quasi per modum cuiusdam fieri et accessus ad deitatem, ut sic Filius per eam capiat quod sit Deus. Secundum hoc ergo, essentia dicitur generari per modum termini. – Habet autem ista positio ultimam rationem superius inductam inter argumenta tertio loco.

#### **e. Opinio quorundam aliorum.**

56 Fuerunt demum alii qui dicere voluerunt quod essentia potest supponere pro persona; et ideo, sicut dicitur vere quod Deus genuit Deum, sic dici potest quod essentia generat et generatur, quia persona generatur et generat. – Haec autem opinio fulciri potest quinque rationibus, superius arguendo quarto loco inductis.

## **2. Articulus secundus. Ubi eligitur conclusio Magistri et Concilii generalis, sub quatuor propositionibus negativis, oppositis opinionibus praedictis.**

57 Circa secundum ergo considerandum est quod opinio Magistri, confirmata per generale Concilium, videtur refellere omnes istas opiniones. Propter quod dicendum quod essentia non generatur ut in Filio, sic quod directe attingatur, ut opinio prima dicit. Nec generatur per modum subiecti, ut opinio secunda compingit. Nec attingitur per modum formalis termini, ut dicunt opiniones tertia et quarta. Nec generatur supponendo pro persona, ut fingit opinio quinta. Sed est omnino nec generans nec genita nec procedens, communicata tantum sicut forma symbolica, ut inferius apparebit in articulo quarto. Pro isto vero oportet per ordinem propositiones quatuor /Vb 124vb/ negativas demonstrative declarare, demonstratione concludente fideli.

#### **a. Quod essentia prout est in Filio non generetur directe; contra primam opinionem.**

58 Est ergo prima propositio quod essentia, ut in Filio, non generetur directe sic quod realitas essentiae, prout est in Filio, capiat quod sit realitas per generationem. Impossibile namque est ut realitas, quae capit esse ut sit, sit eadem cum illa quae non capit esse ut sit. Alioquin eadem realitas capit esse et non capit esse, quod est expresse contradictio quam non patitur aliqua natura, ut Augustinus dicit, I *De trinitate*. Sed essentia, prout est in Filio, est eadem realitas cum essentia prout est in Patre. Nec enim sunt duae res. Prout autem est in Patre est a se, nec capit quod sit realitas. Ergo impossibile est quod, prout est in Filio, capiat esse ut sit realitas per generationem. Nec valet si dicatur quod realitas essentiae, prout est in Filio cum realitate essentiae prout est in Patre, est eadem realitas essentialis. Non tamen est eadem realitas personalis. Essentia namque in Patre et in Filio est duae personae reales, quamvis non sit nisi unica res essentiae. Hoc nimirum non valet. Quaerendum est namque utrum res personalis quae plurificatur, et res essentialis quae non plurificatur, sint omnino eadem res per repetitionem et in recto, aut sint eadem res per omnimodam indistinctionem et quasi in obliquo. Primum dari non potest. Tunc namque erit expressa contradictio, quod scilicet eadem res penitus per repetitionem et in recto sit eadem et non eadem, plurificata et non plurificata. Si vero detur secundum, quod scilicet non sint eadem in recto sed per indistinctionem et in obliquo, tunc habetur propositum. Nam personae sunt distinctae, et per consequens una generans et alia genita; essentia vero, quae in ea clauditur in obliquo quae non distinguitur, non erit genita nec generata, iuxta intentionem Magistri.

59 Praeterea, inter generans et genitum debet esse distinctio realis, maxime cum generatio sit realis. Sed secundum sic ponentes, inter essentiam prout est in Patre et essentiam prout est in Filio, non est distinctio essentialis, quamvis sit distinctio personalis, ita ut res essentialis semper



sit eadem et distinguatur res personalis. Ergo etiam secundum eos res essentiae prout est in Filio non generabitur, sed res personae. Unde mutuo contradicunt, concedendo quod generans et generatum debent distinguui, sic quod res generans et genita sint alia res, et concedendo quod essentia prout est in Filio generetur. Quamvis enim sit eadem res essentiae et personae, nihilominus essentia ut est in Filio est indistincta ab essentia ut est in Patre, realitate essentiali. Personae autem sunt distinctae realitate personali, et per consequens realitas essentiae, quae indistincta est, non generabit nec generabitur, sed realitas personae.

60 Praeterea, si essentia prout est in Filio generatur, aut generatur ut sit simpliciter, aut ut sit in Filio. Sed non potest generari ut sit simpliciter, quia tunc sequitur quod non sit a se, sed ab alio; in Patre vero eadem res erit a se, non ab alio; et dantur duae contradictio-/Vb **125ra**/-nes, quod scilicet eadem res sit a se et non a se, ab alio et non ab alio. Nec etiam potest dici quod generetur ut sit in Filio, quia, quod praeexistit et datur alteri, non oportet quod generetur. Potest enim transfundi aqua de vase in vas absque hoc quod generetur; et iterum, cum alimentum incorporatur animali, perficitur per animam absque hoc quod anima generetur. Ergo nullo modo essentia prout est in Filio dicitur generari.

61 Praeterea, illud, quod circa rem essentiae nullam facit variationem realem, non potest dare quod generetur, quoniam secundum eos essentia prout est communis non generatur; et idcirco, sub illa ratione qua generatur, oportet quod sit facta aliqua realis variatio. Nullum enim reale praedicatum attribuitur alicui subiecto, nisi per aliquid reale. Sed constat quod haec determinatio, prout est in Filio, non facit circa essentiam aliquam variationem realem, quamvis ponat varietatem rationis. Concedunt namque ipsi quod essentia, ut est in Filio et ut in Patre, est eadem res essentialis, quamvis non personalis. Ergo haec determinatio, prout est in Filio, non dat essentiae quod possit generari.

62 Praeterea, quandocumque aliqua sunt unum et idem realiter et differunt sola ratione, si unum generatur et reliquum. Sed essentia, prout est communis et prout est in Filio propria sibi, est una et eadem res. Ista enim habitudines commune et proprium, dant tantummodo alietatem rationis. Ergo, si essentia non generatur prout communis est, nec generabitur prout est in Filio propria sibi.

63 Praeterea, omne quod replicatur et triplicatur distinguitur. Sed res essentiae non distinguitur, quamvis distinguatur res personae. Ergo quamvis triplicentur personae, non potest dici quod essentia replicetur aut triplicetur.

64 Necessesse est igitur negative tenere quod essentia, prout est in Filio per generationem, non attingatur directe; vel si attingatur, erit alia essentialiter ab ea quae est in Patre, et redibit haeresis Ariana quae substantias separabat.

Et sic patet propositio prima.

#### **b. Quod essentia non generetur subiective; contra secundam opinionem.**

65 Est autem secunda propositio quod divina essentia non generatur subiective, ut sit quasi materia, id est Filii persona. Nulla namque ratio dicens imperfectionem ponenda est in perfectissimo, et re et ratione. Sicut enim esset imperfectus realiter, si esset in eo res habens imperfectionem, sic erit secundum rationem imperfectus si fuerit in eo aliqua ratio imperfecta. Sed Deus est perfectissimus et re et ratione, cum sit id “quo maius excogitari non potest”. Ratio autem materiae, et perfectibilis et actualis, est imperfecta. Perfectibile enim est imperfectum et expectans perfectionem. Ergo impossibile est quod essentia divina habeat rationem subiecti perfectibilis, vel quasi materiae.

66 Praeterea, actus infinitus et perfectio infinita perfici aut actuari non potest. Si enim perficitur et actuatur non erit actus purus et pura perfectio. Sed secundum philosophos et theologos Deus est actus infinitus et purus, et perfectio pura. Ergo deitas non potest habere perfectibilis rationem ut per aliquid perficiatur.

67 Praeterea, omnis actus et perfectio denominat suum subiectum. Sed filiatio non denominat deitatem per modum perfecti et actuati. Non est enim verum quod deitas sit filiatio. Ergo deitas non est actu-**Vb 125rb**/-ata per filiationem quasi materia per formam.

68 Praeterea, fundamentum relationis habet propriam unitatem, extra quam est relatio, sicut patet quod extra Sortem est paternitas et similitudo extra albedinem. Sed probatum est supra quod essentia non habet propriam unitatem extra quam sit filiatio, nec e converso; immo fundant penitus eandem unitatem. Ergo essentia non se habet per modum fundamenti aut perfectibilis, respectu filiationis; et per consequens non est quasi materia.

69 Praeterea, omne perfectibile per aliquid habet rationem potentialis respectu illius. Sed probatum est supra quod essentia et proprietates non se habent in habitudine potentiali, immo connexio utriusque et unitas quam fundant est actualissima in fine actualitatis; alias esset compositio. Igitur poni non potest quod essentia habeat rationem perfectibilis, vel sit quasi materia.

70 Praeterea, non est maior unitas in verbo mentis nostrae, inter proprietatem verbi et rem ac essentiam verbi, quam sit in Verbo divino. Sed in verbo mentis nostrae, quod est res posita in esse apparenti, utpote rosa quae intuenti apparet, in hac siquidem rosa apparenti tanta est unitas inter apparentiam quae est proprietas, et realitatem rosae quae est quiditas et essentia, quod intellectus non concipit realitatem rosae per modum substrati ad apparentiam, nec etiam apparentiam ipsam per modum inhaerentis et perfectionis; sed ambo capit ut unum simplicissimum, ut patet quia rosa simpliciter, quae utrumque in se includit, cadit sub intuitu ut unum indivisibile simplex. Ergo multo fortius relatio Verbi, quae est filiatio et realis apparitio in divinis, non se habebit ad essentiam per modum inhaerentis, nec essentia per modum fundamenti aut perfectibilis, aut quasi materiae, sed ut omnino unum.

71 Est ergo considerandum quod imaginatio decipit sic opinantes et omnes qui putant quod essentia et relatio habent proprias unitates, vel secundum rem vel secundum rationem formalem. Impossibile est enim talia uniri mutuo quin intelligatur unum per modum substrati et fundamenti, reliquum vero per modum inhaerentis et perficientis; et idcirco verus conceptus est quod essentia et proprietas non habent proprias unitates, sed fundant penitus eandem indistinctionem. Propter quod, unum non est fundamentum alterius nec perficiunt se mutuo, sed constituunt unum simplex.

72 Nec possunt hoc salvare qui dicunt quod retinent suas formalitates distinctas et transeunt in identitatem realem. Eo quippe modo quo transeunt, satis patet quod unum non sit alterius fundamentum; sed eo modo quo formaliter distinguuntur, non apparet quin unius formalitas concipiatur per modum fundamenti et quasi substrati, alterius vero per modum inhaerentis. Sed sic intelligendo ut dictum est, facile est quod dicitur capi. Est enim exemplum ad hoc in verbo mentis nostrae, sive in obiectali conceptu, quod non est aliud quam res in esse apparenti posita obiective; de quo constat quod apparentia et realitas, sive res et eius esse apparens, fundant penitus eandem indistinctionem, ita ut unum non possit concipi per modum fundamenti, nec reliquum per modum **Vb 125va**/ inhaerentis; sed ambo per modum constituentis unum simplex. De quo dicetur amplius infra, distinctione 33, ubi de indistinctione proprietatis et essentiae diffusius inquiretur.

**c. Quod essentia non generatur per modum formalis termini; contra tertiam et quartam opinionem.**

73 Est vero tertia propositio quod essentia non attingitur per generationem, tanquam formalis terminus. Ratio enim formalis termini in hoc consistit, quod capit quod sit et sua realitas accipit quod realitas sit per productionem, sicut ratio subiecti in hoc consistit quod recipit realitatem illam. Hoc autem patet in omni productione; nam si albedo non acciperet entitatem per dealbationem, non esset formalis terminus dealbationis, nec forma ignis ignitionis; et sic de omni formali termino. Sed constat quod essentia per generationem non capit ut realitas sit nec accipit esse, tum quia ista realitas iam est vere in Patre, – factum autem facere nihil est facere, et multo minus id quod est iterum facere, nihil est facere; ens enim generari non potest ut Philosophus dicit, I *Physicorum*; tum quia sequeretur contradictio, puta quod eadem res habeat esse ex se et deinde ab alio, et quod capiat esse et non capiat esse, et multa similia. Ergo impossibile est quod essentia sit terminus formalis.

74 Praeterea, haec est differentia inter agere et relationem: quod formalis terminus productionis et omnis actionis capit esse et suam realitatem ex vi productionis; terminus autem relationis non oritur ex ipsa, sed magis e converso. Et hanc differentiam assignat Simplicius, super *Praedicamenta*. Sed constat quod generatio in divinis est vera productio. Ergo formalis terminus eius non potest esse illud, quod non capit suam realitatem ex vi huius productionis, cuiusmodi est essentia.

75 Praeterea, formalis ratio cuiuscumque productionis est illud quo formaliter totum compositum capit esse et habet quod producat. Sicut enim formale principium actionis est illud quo agens agit, sic est formalis eius terminus quo actus\* agitur; sed propter unumquodque tale, illud magis. Ergo formalis terminus magis capit quod sit ex vi productionis quam ipsum productum. Constat autem quod essentia ex vi generationis non capit entitatem suam. Igitur id quod prius.

76 Praeterea, Commentator dicit, VII *Metaphysicae*, commento 31, quod, “quia subiectum formae non habet esse nisi per formam, ideo actio agentis non dependet a subiecto nisi secundum quod pendet a forma; et illud est quod generat formam, immo non generat subiectum nisi quia generat formam”. Ex quo patet quod formalis terminus generationis est id quod capit esse ex vi generationis, quinimmo subiectum aut totum compositum non accipit esse nisi ratione formae. Sed constat quod realitas divinae essentiae non accipit intrinsece ex vi generationis quod sit. Igitur non est terminus formalis.

77 Praeterea, constat quod Filius in divinis vere oritur et accipit quod sit. Illud igitur quo formaliter accipit est formalis terminus generationis. Sed non accipit suam realitatem ex vi essentiae, cum essentia suam realitatem non accipiat, sed ex vi proprietatis, ut dicitur inferius. Igitur essentia non est formalis terminus generationis.

78 Praeterea, illud /Vb 125vb/ quod alteri communicatur, in altero praeexistens, non est formalis terminus generationis. Sicut patet quod raritas, quae fuit in aqua et remanet in igne generato ex aqua, non dicitur generari, nec esse formalis terminus generationis; et idem est de aliis formis symbolicis. Unde “quantitas est ingenerabilis et incorruptibilis”, secundum Commentatorem tractatu I, *De substantia orbis*; et idem dicit, I *Caeli et mundi*, quod dimensiones simpliciter non generantur, pro eo quod manent eadem in generato quae praeexistebant in corrupto. Sed constat quod <essentia> [generatio Vb] vere existens in Patre communicatur Filio. Ergo non habet rationem formalis termini generationis.

79 Praeterea, Philosophus dicit, II *Physicorum*, quod est via in formam; ubi dicit Commentator, commento 14, quod “generatio est via ad hoc quod forma fiat”. Sed constat quod deitas non capit entitatem, nec fit realitas per generationem. Ergo non erit formalis terminus.

80 Praeterea, illud cuius realitas esse non accipit, nec in se fit sed alteri infit, non est formalis terminus generationis; sicut patet de anima, quae unitur partibus alimenti conversis in carnem. Non enim dicitur anima formalis terminus nutritionis, quia per nutritionem non fit, sed unitur et quasi infit partibus alimenti. Sed essentia in sui realitate non fit nec esse capit, quamvis uniatur relationi in Filio. Ergo non erit terminus formalis. Et potest poni ad hoc exemplum de turture, de qua dicitur quod evulsis oculis iterum generantur; nec propter hoc anima eius est formalis terminus generationis oculorum, pro eo quod praecessit in toto corpore. Consimiliter ergo, quia essentia praecessit in Patre, quamvis communicetur Filio et uniatur proprietati eius, nihilominus dici non potest formalis terminus generationis.

81 Praeterea, non dubium quod in communi resurrectione reunietur anima corpori. Nec tamen propter hoc anima dicetur formalis terminus illius actionis, nec resurrectio generatio dici debet, pro eo quod anima praefuit nec accipiet esse per resurrectionem. Sed constat quod essentia divina praexistit in Patre, nec accipit esse per generationem. Ergo non potest dici formalis terminus generationis, quamvis ex vi ipsius generationis uniatur filiationi.

82 Praeterea, productio realis est aliquid reale, sive realis habitudo inter formale principium et terminum formalem. Unde producens habet realem habitudinem ad terminum formalem productionis, cum ipsa productio sit habitudo realis, egrediens a producente et terminata ad productum tanquam ad <‘quid’> [quod Vb], ad terminum autem formalem tanquam ad ‘quo’. Sed constat quod inter Patrem et essentiam quae est in Filio non est habitudo realis, sicut expresse Magister dicit in littera, capitulo 1. Et patet etiam, quia necessario distingueretur realiter ab ea, cum realis habitudo originis non possit esse inter indistincta realiter. Ergo impossibile est quod essentia, ut in Filio, attingatur a generatione tanquam terminis formalis. Nec valet quod dicit tertia opinio quod hoc caret essentia in divinis, prout est formalis terminus, quod scilicet inter producens et ipsam non est habitudo realis quia non sunt distincta /Vb 126ra/ realiter. Hoc nimirum non valet, quia demonstrative concludit quod non sit terminus formalis. Haec quidem est quidditativa ratio formalis termini quod attingatur a generatione et ita quod productio sit quasi intervallum reale inter producens et ipsum.

83 Praeterea, ablato formali alicuius, aufertur ipsum. “Forma enim est quae dat nomen et definitionem”, ut Philosophus dicit, II *Physicorum*, et Commentator, I tractatu *De substantia orbis*. Sed, sicut dicit quarta opinio, ratio termini non competit divinae essentiae. Ergo non debet concedi quod sit formalis terminus. Nec valet quod dicit quod remanet id quod est terminus, quia forma est id quod est terminus. Pari namque ratione essentia ut in Patre, cum sit quaedam summa forma, dici poterit id quod est terminus. Unde absonum est quod dicit. Non valet etiam quod ait generationem esse quasi quemdam accessum ad deitatem. Non valet, inquam, tum quia, si esset accessus ad deitatem, oporteret quod deitas caperet suum esse per istum accessum; tum quia non occurrit quid sit elongatum a deitate, ut accedat ad ipsam; tum quia accedens ad deitatem debet intelligi prius existere, et deinde ad deitatem currere; quae omnia sunt imaginaria dicta.

84 Tenendum igitur pro constanti quod essentia non attingitur in divinis, tamquam formalis terminus a generatione aliquo modo; et ideo non potest dici generari obiective. Unde patet propositio tertia, in tantum quod, si ratio formalis termini ponderetur, impossibile est evadi quin divina essentia realiter fiat, et capiat quod sit res per generationem; et inciditur in haeresim Arianam, quia necessarium erit essentiam, quae est in Filio, esse rem aliam ab illa quae est in Patre.

**d. Quod essentia divina non potest dici generare vel generari supponendo pro persona; contra quintam opinionem.**

85 Est ergo quarta propositio quod essentia, quantum est ex vi impositionis istius nominis, non potest supponere pro persona, et ideo dici non potest generari vel generare. Rationem autem huius assignant aliqui quod essentia est abstracta ultimata abstractione. Non solum enim abstrahit a subiecto, sicut sapientia a sapiente, immo et ab omni implicito et connotato, quod non facit sapientia, quae implicat principium operandi et connotat obiectum. Illud autem quod sic ultimate abstractum est non recipit praedicationem, nisi sui ipsius, sicut Avicenna dicit, V *Metaphysicae*, quod “equinitas non est nisi equinitas tantum”; vel praedicationem eorum quae sunt sibi idem in primo modo dicendi per se. Et quia generare et generari non praedicantur nisi formaliter, et denotando quod actus egrediatur vel terminetur, concedi non debet quod essentia generet vel generetur. Concedi tamen potest de sapientia, quia non est abstracta ultimata abstractione.

86 Haec autem ratio sufficere non videtur, tum quia non apparet quod esse principium operandi vel connotare obiectum det sapientiae quod possit supponere pro persona, vel quod possit generare vel generari; tum quia, eodem modo essentia implicat principium essendi, sicut sapientia operandi, et connotat esse quia “ab esse dicta est essentia”, secundum Augustinum; tum quia ista conceditur: ‘Essentia creat’, secundum istos, et tamen creare eodem modo praedicatur sicut et generare, – notat enim egressum creaturae ab essentia, /Vb 126rb/ sicut generare egressum Filii a Patre; tum quia lux videtur abstrahi ultimata abstractione, et tamen conceditur lux genita in divinis sicut et sapientia, iuxta illud: “Lux de luce apparuisti, Christe”.

87 Praeterea, dicendum est quod essentia non potest supponere pro persona. Illud enim quod, nec ratione suae significationis nec ratione appropriationis, tenetur pro persona, illud, inquam, non potest dici generare vel generari, supponendo pro persona. Tenentur quidem aliqua nomina pro personis ratione significationis, ut puta Deus bonus et omnia concreta. Significatum enim omnium talium claudit suppositum et habens, et propter hoc conceditur: Deus genuit Deum et bonus bonum ac aeternus aeternum, et similia. Tenentur quoque quaedam alia pro personis ratione appropriationis, utpote sapientia, lux, et lumen, quae Filio appropriantur ex communi usu sanctorum, propter modum emanandi proprium ipsi Filio; emanat quippe per modum notitiae obiective, et ideo quasi splendor et lux et lumen. Sed constat quod essentia ratione significationis non potest teneri pro personis, cum non significet suppositum; nec potest etiam ratione appropriationis: nullus enim umquam sanctus appropriavit essentiam alicui personae, sed omnes dicunt eam communem tribus. Ergo essentia non potest dici generari vel generare, supponendo pro personis.

88 Praeterea, quicquid contingit intelligere, contingit significare; immo multa significantur praecise, quae non possunt praecise concipi, sicut patet de rectitudine et similitate. Sed constat quod contingit in divinis concipi quandam summam rem, indistinctam quidem a tribus nec habentem propriam unitatem, cui competunt aliqua quae personis non competunt; quinimmo contradictoria eorum attribuuntur personis, utpote quod illa res summa est implurificabilis, personae vero plurificabiles; et quod est indistinguibilis, personae vero distinguuntur; et quod est communicabilis, personae vero non communicantur; et multa talia. Ergo necesse est quod nomen aliquod sit impositum, ad illam rem significandam, prout recipit huiusmodi praedicata quae non recipiunt personae, et prout ipsa non recipit illa quae personae recipiunt. Tale autem nomen non potest esse nisi essentia. Igitur essentia non supponit pro personis in ordine ad ista praedicata. Sunt autem de huiusmodi praedicatis generare et generari, distinguere et plurificari. Unde sicut nullo modo conceditur quod essentia distinguatur aut dividatur, sic concedi non debet quod generetur aut producat,ur,

Et sic patet propositio quarta.

**e. <Conclusio articuli secundi>.**

89 Ex quo igitur essentia in divinis non generatur ut est in Filio, sic quod directe per generationem attingatur, aut etiam indirecte quasi materia, nec etiam quasi formalis terminus, nec etiam supponendo pro persona, non restat modus aliquis quo concedi possit quod essentia generetur. Unde tenenda est sententia Magistri tamquam verissima et per Concilium confirmata.

**3. Articulus tertius. Quod omnes opinantes decipiuntur in duobus.**

90 Circa tertium vero considerandum est quod communis imaginatio circa istam materiam decipit opinantes propter duo.

**a. Et primum est quia imaginantur generationem esse aliquid elicited in divinis.**

91 Primum quidem quia omnes imaginantur quod generatio in divinis sit aliquid elicited. Hoc autem est /Vb 126va/ impossibile propter multa. Res quidem paternitatis non potest esse res quae capiat suam realitatem aliunde. Si enim caperet, tunc Pater constitueretur formaliter per rem productam et elicited ac capientem aliunde originaliter entitatem; et per consequens Pater erit aliquid originatum et productum, cum sua forma sit originata; quod omnino erroneum est et absurdum. Impossibile est ergo quod realitas paternitatis sit aliunde originata, aut capiat suam realitatem ab aliquo causative. Sed Magister dicit infra, distinctione 27, in capitulo “Ad quod sine”, quod generatio et paternitas sunt eadem res diversis verbis expressa. Communis etiam schola hoc tenet. Ergo impossibile est quod generatio sit productio elicited aut quod eius realitas sit aliunde originata.

92 Praeterea, si generare est aliquid elicited, aut elicited ab essentia aut elicited a Patre. Sed impossibile est quod elicited a Patre, quia nulla res elicited suum formale principium constitutivum; alias eliceret se. Et si dicatur quod generare non constituit, sed paternitas, nihil obstat, quia generare et paternitas eadem res sunt. Est autem hic inquisitio, non de vocabulo aut conceptu, sed de re qua realiter a deitate distinguitur et constituitur Pater. Et adhuc impossibile est quod elicited generare ab essentia deitatis, quia tunc distingueretur realiter a deitate. Idem enim non elicited se, nec est causa sibi ipsi ut sit. Unde res elicited quae esse accipit aliunde et res eliciens quae esse dat necessario distinguuntur. Impossibile est igitur quod generare elicited. Et si obiciatur quod per hanc rationem nec generatio passiva erit aliquid causatum, cum non distinguatur ab essentia, dicendum quod verum est ipsam non esse causatam ab essentia, sed illatam a generare, a quo realiter distinguitur.

93 Praeterea, Pater est suppositum a se et non ab alio. Unde quicquid habet Pater, habet a se; “quicquid autem habet Filius, habet a Patre”, secundum regulam Augustini. Sed Pater est suppositum per generare, et habet in se generare et spirare. Ergo ista habet a se. Sed constat quod non habet a se elicited, quia tunc eliceret id quo est, quantum ad generare. Ergo non potest poni quod sit aliquid elicited.

94 Praeterea, si generare pullularet ab essentia tanquam aliquid elicited, sicut imaginantur aliqui, tunc essentia daret causative realitatem ipsi generare. Sed Augustinus dicit, V *De trinitate*, capitulo 17, quod datum ad eum qui dedit refertur. Ergo generare relative dicetur ad essentiam, et per consequens distinguetur sicut extremum generationis ab alio extremo.

95 Praeterea, omnis actu profluit a supposito et elicited. Sed generare non profluit ab aliquo supposito. Non enim profluit a Patre; alioquin causa formalis proflueret ab effectu. Nec profluit a Filio vel Spiritu Sancto, quia tunc Pater esset a Filio et non a semetipso, et esset circulatio in originibus divinis, quod impossibile est. Nec profluit ab aliquo supposito priori Patre, quia tunc essent in divinis quatuor supposita, et per consequens quatuor res, contra determinationem

Concilio. Igitur generare non est res egrediens aut profluens ab aliquo, sed est realitas improducta omnino.

96 Praeterea, si generare po-/Vb 126vb/-natur aliquid egrediens aut pullulans et esse capiens, necesse est quod deitas a qua pullulat sit suppositum absolutum. Unde sumus positi inter duo, videlicet ut dicamus quod generare nullo modo elicitur, nec pullulat nec entitatem accipit aliunde; aut quod dicamus quod in divinis est suppositum absolutum, a quo pullulant et egrediuntur. Et aliqui concedunt istam partem, dicentes quod Deus per rationem deitatis constituitur in esse suppositali, et sic ab eo profluit generare et habetur suppositum primum relativum, quod est Pater; et deinde, mediante generare, generari et habetur Filius; et sic de Spiritu Sancto. Sed hoc impossibile est omnino. Sequitur enim quod in divinis aut non sit nisi unum suppositum et una persona, quod est error; aut quod sint quatuor supposita et quatuor personae. Si enim detur quod illud suppositum absolutum – quod utique est persona, cum sit in intellectuali natura – si detur inquam quod ingrediatur rationem suppositalem aliorum trium, ita ut non ponat in numerum, necesse est dici si remanet suppositum quod alia tria non sint supposita. Formali enim rationi suppositi repugnat haberi, cum sit habens; et repugnat esse alterius, cum omnia sint eius et repugnat assumi. Unde nec Verbum potuit assumere suppositum humanum. Istud ergo absolutum suppositum, quod includitur in tribus, vel erit a tribus habitum et aliquid trium, et sic amittit quod sit suppositum; vel erit habens illa tria et erunt ipsa aliquid eius, et sic amittent rationem suppositi, et secundum hoc non erit nisi unum suppositum et una persona in Deo. Si vero dicatur quod illud suppositum absolutum ponit in numerum cum aliis tribus, tunc erunt quatuor supposita et quatuor personae. Cum igitur non possit pars ista eligi, videlicet quod sit aliquod suppositum absolutum, Patrem praecedens, necesse est ut pars altera eligatur, videlicet quod generare non sit progreiens aut elicium.

97 Praeterea, si generare esset aliquid elicium in Deo, Deus faceret se Patrem, sicut quia Sortes elicit generare facit se patrem. Sed Deus non facit se Patrem; alias esse Patrem erit aliquid productum et factum in divinis. Igitur id quod prius.

98 Praeterea, sicut se habet Filius ad essentiam <et filiationem et Spiritus Sanctus ad essentiam> et spirationem, sic se habet Patrem ad essentiam et paternitatem seu activam generationem. Sed Augustinus dicit, V *De trinitate*, capitulo 18, et XV *De trinitate*, capitulo 26, quod “Filius non tantum habet nascendo ut Filius sit, sed omnino ut sit”; et Spiritus Sanctus non solum habet quod donum sit, immo quod omnino sit, et quod substantia et essentia sit procedendo. Ergo et Pater, si profluendo et egrediendo habet quod Pater sit, utpote quia generare ab aliquo profluit, necessario est quod habeat profluendo quod Deus sit et quod omnino sit, et per consequens erit Deus productus. Quod omnino erroneum est. Igitur generare non est elicium.

99 Praeterea, de illo praedicatur propriissime generare, a quo profluit et elicium. Sed si generare sit aliquid elicium, constat quod non egredietur a Patre, cum Pater sit Pater per generare; et per consequens egredietur ab essentia a qua ponitur pullulare. Ergo proprie praedicabitur /Vb 127ra/ de essentia a qua profluit, et improprie a Patre a quo non erit. Hoc est erroneum. Ergo et quod generare sit elicium.

100 Praeterea, cuius formale egreditur, pullulat, profluit et procedit, necesse est ut ipsum egredietur. Sed constat quod Pater in divinis non est Deus egrediens, sed Filius, de quo scriptum est “In hoc cognovimus, quia a Deo existi”; de Patre autem dicit Dionysius, 2 capitulo *De divinis nominibus*, quod “Pater quidem est fontana deitas, Filius autem et Spiritus Sanctus deigenae deitatis divinae pullulationes, sicut flores et supersubstantialia lumina”. Ergo impossibile est poni quod generare, cum sit formale Patris, sit aliquid pullulans aut egrediens, aut elicium seu profluens a quoquam.

101 Est ergo inconcusse tenendum quod, sicut deitas est res a se non profluens nec realitatem suam accipiens ab aliquo, immo secundum id quod est omnino a semetipsa, sic et generare est quaedam realitas in divinis penitus improducta, non egrediens nec profluens ab aliquo, sed omnino a semetipsa secundum id quod est. Et quia fundat penitus indistinctionem omnimodam et unitatem cum essentia, necesse est quod generans et Pater, qui resultat ex ipsis, sit penitus a se ipso et primum suppositum simplicissimum. Imaginantes autem quod generare eliciatur et profluat ab essentia tanquam a ratione formali, nullo modo possunt evadere quin essentia generet prout est in Patre; et idcirco omnes opinantes inde sumunt causam discedendi a vero.

**b. Secundum in quo decipiuntur est quia imaginantur quod in Filio, sit aliquis formalis terminus quo producat quasi passive.**

102 Secundum vero quod decipit opinantes, circa istam materiam est illud quod imaginantur aliquem formalem terminum in Filio, quod generetur passive. Ad cuius evidentiam considerandum est quod illud quo formaliter aliquid dicitur generari dicitur dupliciter. Primo quidem quo ultimate; et istud est ipsamet passiva generatio; secundo vero quo per modum finalis termini qui esse capit passiva generatione. Et est exemplum ad hoc in panno qui dealbatur. Dicitur namque dealbari dealbatione passiva, et dicitur dealbari albedine quae est formalis terminus capiens esse per dealbationem. Si igitur tolleretur\* ne albedo esse acciperet per dealbationem et remaneret sola passiva dealbatio, pannus diceretur passive dealbari, non quia esset ibi aliquis formalis terminus passivae dealbationis, sed quia ipsamet passiva dealbatio denominaret pannum formaliter et daret sibi quod esset passive dealbatus. Consimiliter in divinis. Cum non sit in Filio nisi essentia et generatio passiva seu filiatio, quae sunt eadem res, non potest poni quod in ipso sit aliquis formalis terminus passivae generationis, qui quidem capiat esse per modum termini formalis. Est igitur ibi tantum passiva generatio, carens termino capienti realitatem per ipsam, et per consequens Filius dicitur generatus generatione passiva formaliter absque omni alio formali termino acquisito.

103 Quod autem haec sit veritas multipliciter patet. Si enim aliquid sit in Filio quod esse capiat per generationem passivam tamquam formalis terminus, aut illud est essentia aut **/Vb 127rb/** filiatio aut persona Filii tota. Non potest poni quod sit essentia, ne cogamur confiteri quod realitas essentiae accipit quod sit res; nam secundum hoc oporteret quod realitas istius essentiae non esset eadem cum realitate essentiae paternae, de qua constat quod habet esse a se ipsa. Nec potest poni quod filiatio esse capiat generatione passiva, quia penitus eadem res sunt filiatio et generatio passiva; et per consequens idem esset formalis terminus sui ipsius et se ipso produceretur; quod falsum est. Nec potest poni quod sit tota persona, quia constituitur formaliter per generationem. Nullum autem formale attingit constitutum originative et principiative; alioquin idem principium principiaret se, cum sit quasi pars illius constituti. Et iterum, si generatio passiva haberet pro termino originato totam personam, aut haberet ratione essentiae; et hoc non, sicut dictum est; aut ratione filiationis; nec hoc potest poni, ut probatum est; aut ratione totalitatis quasi esset origo illius totalitatis, quia origo per necessitatem est aliud ab originato; nec potest esse pars formalis illius. Igitur nullus terminus poni potest qui originetur generatione passiva in Filio, ut videtur.

104 Praeterea, illa generatio non potest habere aliquem formalem terminum qui originetur formaliter, quae existit in aliquo ubi nihil acquiritur nisi praeexistens, aut quod sit idem realiter cum illa generatione. Sed in Filio non est nisi essentia, quae erat praeexistens; de qua constat quod non potest esse formaliter originata, quia nullam realitatem capit per generationem; et iterum est ibi filiatio, quae non est aliud realiter a generatione, et persona quae non est aliud ab utroque. Ergo non est aliquis formalis terminus generationis in Filio, ut videtur.

105 Praeterea, “generatio est via in ens”, ut Philosophus dicit, IV *Metaphysicae*, et Commentator, ibidem et I *Caeli et mundi*. Sed in Filio non est aliquid aliud quod possit esse via



passiva generatio. Non enim filiatio, quia est idem cum ea; nec essentia, quia praeexistebat; nec persona, quia distingueretur realiter ab ea. Via enim est aliud a termino, et iterum persona esset via in se ipsam, cum generatio sit aliquid eius; et iterum persona constituitur formaliter generatione. Unde consequens est quod non sit ab ea originaliter et principiative. Ergo impossibile est quod sit aliquis formalis terminus acquisitus in Filio, in quem sit via passiva generatio.

106 Praeterea, ubi nihil acquiritur nisi ipsamet passiva generatio, est generatio absque formali termino, quia si detur formalis terminus necessario acquireretur aliud quam ipsa generatio, puta formalis terminus. Sed in Filio nihil acquiritur, nisi filiatio quae idem est quod generatio passiva. Ergo in Filio est passiva generatio absque termino formali.

107 Praeterea, non potest denegari Verbo divino quod est perfectionis, et conceditur verbo nostro. Sed in verbo mentis nostrae\* non est aliquis formalis terminus acquisitus per formationem passivam ipsius, sed immediate ex 'formare' sequitur 'formari'. Quod patet si accipiatur rosa apparens. Ex apparitione enim formali, quae est in mente actus intelligendi, oritur apparitio obiectiva rosae; qua quidem apparitione nihil fit circa rosam, nisi quod capit esse apparens formaliter per ipsam apparitionem passivam, non autem effective aut principiative; et sic resultat unum productum constitutum ex /Vb 127va/ [ex] ipsa passiva productione, quae est apparitio obiectiva, et ex ipsa realitate indistincta ab ipsa apparitione; quod quidem constitutum est rosa simpliciter, quam intellectus intuetur. Unde non producitur aliqua res, sed res et apparitio constituunt unum simplex apparens, quod in esse apparenti productum est passiva apparitione formaliter, non originaliter aut principiative. Ergo multo fortius in Verbo divino a dicere et generare paterno infertur dici et generari Filii; sed ex ipso generari cum divina essentia resultabit unus genitus et productus formaliter, non per modum termini originati.

108 Praeterea, de ratione passionis non est plus nisi quod sit effectus illatioque actionis. Igitur in Filio infertur generari a generare paterno, et sic totus Filius dicitur generatus generatione passiva illata a Patre, absque hoc quod aliquid aliud acquiritur.

109 Est igitur inconcusse tenendum quod Filius verissime generatur tamquam constitutus ex passiva generatione et ex essentia; non autem quod essentia acquiratur per passivam generationem, aut filiatio aut persona aut aliquis alius terminus formalis; et in hoc decipiuntur omnes opinantes qui quaerunt ibi aliquid formale. Non est enim aliquid aliud nisi ipsamet filiatio sive passiva generatio, quae infertur a generatione quasi activa Patris.

### **c. Obicitur contra praedicta et solvitur.**

110 Sed ista duo quae dicta sunt videntur habere magnas difficultates. Primam quidem quia videtur quod in divinis Pater non vere generet. Illud namque dicitur vere generare, a quo generatio profluit et egreditur. Sed a Patre non egreditur nec profluit generatio secundum istum modum, sed ipsum constituit. Ergo Pater non vere generabit, quod est erroneum.

111 Secundam vero quia videtur quod in divinis Filius non vere generetur. Illud namque non vere generatur, quod per generationem non capit esse vere. Sed Filius non capit esse per generationem, sed constituitur per eam, ut dicit iste modus. Igitur non vere generabitur.

112 Tertiam quoque quia videtur quod generatio actio non sit in divinis. De formali namque ratione actionis est, quod sit ab hoc in hoc, ut Philosophus, dicit III *Physicorum*. Sed generatio non est ab hoc, cum non sit elicitata, secundum istum modum. Ergo activa generatio non est in divinis.

113 Quartam autem quia videtur quod generatio passio non sit in divinis. De formali namque ratione eius est, quod sit huius ab hoc. Sed in divinis origo non est huius, quia quaeritur cuius huius. Non enim essentiae est origo, ut dictum est; nec Filii, cum ipsum constituat; nec filiationis, cum sit id ipsum cum ea; nec termini alicuius, cum nullus talis ponatur, ut dictum est. Igitur passiva generatio non est ibi, aut quasi passiva.

114 Quintam quoque quia videtur quod ibi non sit generatio, sed ad-aliquatio. Productio enim, qua non acquiritur essentia sed sola relatio, videtur ad-aliquatio. Sed in Filio non est formalis terminus essentiae nec acquiritur, nisi solum generari seu filiatio. Ergo Pater non generabit, sed ad-aliquabit ut ita liceat loqui.

115 Sextam vero quia videtur impossibile implicari, videlicet quod ex generare profluat generari. Unum namque oppositum non est causa /Vb 127vb/ alterius. Sed generare opponitur generari. Igitur non causabit ipsum. Unde et in creaturis generare non attingit generari, sed rem aliquam generatam directe, quae secundum istum modum non videtur esse in divinis.

#### **d. Responsio ad praedicta.**

116 Dicendum quidem his non obstantibus sicut prius. Considerandum namque quod, sicut persona Patris constituitur ex essentia et ex ipso generare ita quod utrumque est res improducta – nam generare non est aliquid elicited, sed omnino a se constituens primum suppositum, quod non est aliud quam generans et Pater – sic Filius constituitur ex essentia et ex ipso generari. Et sicut generare ibi non est elicited, sed est formale constitutivum Patris, sic generari nihil hic elicited, sed est formale constitutivum Filii; et eodem modo spirari Spiritus Sancti; ut sic ex tribus productionibus una cum essentia resultent tria supposita realia in divinis.

117 Non ergo obviant primae duae difficultates. Pro quarum solutione considerandum est quod aliter dicitur Sortes generare, et aliter generans dicitur generare; et similiter aliter Sortes dicitur generari, aliter filius vel genitus. Sortes namque dicitur generare, quia ab eo profluit generatio; generans autem dicitur generare, non quod ab ipso egrediatur generatio; non enim se habet ad ipsum generatio per modum profluentis, sed per modum constituentis. Similiter quoque dicitur Sortes generari, quia capit esse per generationem principiative per modum termini, unde originatur per generationem; genitus autem dicitur generari, non quia esse genitum originetur a generatione, alias idem causaret se; sed quia constituitur formaliter in esse genito per generationem. Vel potest poni clarius haec distinctio, quod aliud est id quod generat, quod utique generat elicited; aliud in quantum generans, quod dicitur generans constitutive; constituitur namque generatione. Et similiter aliud est id quod gignitur quod capit esse per generationem principiative, et aliud in quantum genitum quod constituitur per passivam generationem.

118 Ad propositum ergo, in divinis non est id quod generat modo Sortis, quia tunc sequeretur quod a Patre proflueret generatio et esset suppositum absolutum, non constitutum per generationem; cuius oppositum fides habet. Est generatio in generans in quantum quod nominat Patrem, qui\* quidem constituitur formaliter per ipsam generationem. Generat igitur Pater in divinis, non sicut Sortes substernitur generationi, sed sicut generans quod est formaliter per generationem. Et quia excellentiori modo generat generans quam Sortes – includit enim in se generare formaliter – necessario sequitur quod Pater in divinis nobilissime generat et excellenti modo. Similiter autem in Deo non est id quod est genitum sicut Sortes; alioquin esset suppositum absolutum deferens filiationem. Est ergo ibi generatum modo filii et geniti, in quantum ut sic Filius in divinis dicatur generatus excellentiori modo quam Paulus aut Cicero in humanis. Et potest poni exemplum congruentissimum in verbo mentis nostrae. Patet enim quod rosa dicitur mentis conceptus et concipi, quia concipi una cum realitate /Vb 128ra/ rosae constituit rosam simpliciter in esse concepto, et per consequens filiatio, quia proles et filius et

conceptus mentalis, appellatur res posita in esse apparenti. Quod ergo dicitur in prima difficultate, quod illud dicitur vere generare a quo profluit generatio, et in secunda quod illud dicitur generari quod esse capit per generationem, dicendum quod verum est de eo quod sic generat vel generatur sicut Sortes, non de eo quod generat sicut generans aut generatur sicut genitus et filius, quomodo ponimus in divinis.

119 Non obstant etiam aliae duae difficultates. Pro quarum solutione considerandum est quod, sicut de conceptu relationis sunt tria, unum videlicet in recto utpote habitudo, et duo in obliquo puta subiectum et terminum, ut apparet quod similitudo est habitudo huius ad illum et hinc est quod definitur per duo addita, scilicet per subiectum et terminum; sic actio et passio dicunt quidem in recto egressum, in obliquo autem producens et productum. Est enim actio egressus huius in hoc sive profluxus agentis in actum. Unde est via producentis in actum. Similiter est passio egressus huius ab hoc sive profluxus effectus ab agente. Et quia alius modus est in profluxu effectus et alius in profluxu agentis, unde unus profluit active, alius passive; idcirco actio et passio sunt diversi conceptus praedicamentales. Nunc igitur, si capiatur in actione quod est profluxus huius in hoc, ly 'huius' potest notare aliquid a quo sit iste profluxus, sicut ab igne est calefactio; vel potest notare aliquid quod sit totum agens, sicut calefactio dicitur egressus calefacientis. In divinis ergo generatio est profluxus, non ab aliquo a quo egrediatur, sed est profluxus ipsius generantis; et sic remanet ibi quasi ratio actionis, in quantum est egressus huius, videlicet Patris in Filium. Est enim productio Patris, quamvis non a Patre. Filius tamen vere est a Patre. Consimiliter etiam intelligendum est de generatione passiva. Est enim egressus huius ab hoc, non quidem sicut Sortis a Platone, sed sicut geniti a generante. Et per hoc patet ad ambas difficultates. Falsum est enim quod sit de ratione generationis esse ab hoc elicitive, nisi in creaturis. Unde sufficit quod sit huius sicut generantis. Et similiter falsum est quod passiva generatio sit huius tanquam termini. Sufficit enim quod sit huius ab hoc, tanquam constituti quale est filius et genitus. Et ad ista est competens exemplum de verbo mentis nostrae.

120 Non obstant etiam ultimae duae difficultates. Pro quarum solutione considerandum est quod de ratione actionis est quod inferat passionem. Quod patet ex definitione auctoris *VI Principiorum* qui dicit quod "passio est effectus illatioque actionis". Unde generare infert generari et concipere concipi. Ad propositum ergo, non est imaginandum quod ideo in divinis sit generatio, quia terminetur ad substantiam; alioquin processio Spiritus Sancti, cum terminetur ad substantiam generatio dici posset. Dicitur ergo generatio, quia terminatur ad proprium modum essendi Filii, qui est esse Verbum et proles et conceptus ac partus mentis. Consistit autem iste **Vb 128rb/** modus formaliter in esse concepto. Unde rei apparitio dicitur quasi quaedam generatio passiva. Quamvis ergo generare in divinis, quod nihil aliud est quam dicere, inferat directe generari sive dici et concipi, nihilominus non dicitur ad-aliquatio, quia infert directe generationem et filiationem. Dicitur namque idem est quod concipi et mentaliter filiari. Quod autem additur unum oppositum aliud non inferre, aperte fallit in actione et passione.

121 Patet igitur quomodo Filius vere est a Patre, quia id quo formaliter est infertur a Patre, videlicet ipsum generari.

#### **e. Ratio confirmans totum articulum.**

122 Posset autem ratio induci demonstrative concludens istas duas condiciones, videlicet quod nec generare est aliquid elicited, nec generari aliquid elicit tanquam terminum in divinis. Quandocumque enim inter producens et productum omnimoda est identitas, ita quod omnia unum sunt praeter <producere> [producens Vb] et produci, generare et generari, necesse est ut generare non sit elicited, ut per generari nihil elicatur. Hoc quidem patet, tum quia secundum hoc producens constituitur per producere et productum per produci formaliter; et per consequens producere non elicited a producente, nec productum elicited per produci; tum quia, si producere sit elicited, tunc illud quod elicited est aliud a producto, non solum per producere et produci, sed

in illa re quae producit. Alioquin, sicut producens eliceret ita et illa res existens in producto eliceret. Similiter etiam, si per produci aliquid eliceretur in illo elicito, productum a producente distingueretur. Patet igitur quod ibi ubi omnia sunt unum praeter producere et produci, quod ibi nec producere elicitor nec produci aliquid aliud principiative causatur. Sed constat, iuxta fidei veritatem, quod in divinis omnia sunt unum praeter producere et produci. Dicit enim Damascenus, libro I, capitulo 10, quod omnia quae habet Pater habent Filius et Spiritus Sanctus, et e converso, praeter ingenerationem et generationem et processionem. In his enim solum hypostaticis proprietatibus ab invicem differunt. Ergo sequitur <demonstratione> [demonstrative Vb] fidei quod producere in divinis non est elicitor, et quod nihil elicitor per produci.

123 Et quia in nullo alio producente et producto hoc verum est, quod omnia unum sint praeter producere et produci excepta productione Verbi et Spiritus amantis, de quibus dictum est supra, ideo in nulla creatura potest reperiri exemplum nisi in his duabus productionibus, intentionalibus quidem quoad nos, realibus autem quoad Deum. Unde nec in Deo potest esse alius modus productionis, nec in creaturis potest reperiri alibi quam in mente productio non-elicit, aut produci quo aliquid non causetur.

124 Quomodo autem hoc sit in productione Verbi sic patet. Dictum est enim supra quod anima, se ipsam intelligendo, ponit se coram se in esse conspicuo et formato; anima autem ponens et sic posita in nullo distinguitur nisi in ponere et poni, quod nihil aliud est quam dicere et dici, concipere et /Vb 128va/ concipi, generare et generari. Quod ergo ponere non eliciatur ab anima nec poni aliquid causaret, statim apparet. Si enim ponere eliciatur ab anima ponente, elicietur utique et ab anima posita, cum sit eadem anima. Vel oportebit quod sit alia anima, illa quae ponere elicit, ab illa quae non elicit. Si vero per poni anima eliciatur, erit alia ab illa quae ponebat. Relinquitur quod nec dicere est elicitor, nec ex dici aliquid sequitur; sed quod anima ponens se ante se constituatur in esse differenti per ponere et poni. Et sicut haec imaginamur – sed intentionaliter – ita in divinis realiter est tenendum.

Et hic finitur tertius articulus quaestionis.

#### **4. Articulus quartus. Quomodo se habet essentia in divinis ad generationem.**

125 Circa quartum ergo considerandum est quod essentia communicatur per modum formae symbolicae. Quandocumque enim aliqua forma, manens eadem, transit a supposito in suppositum, illa est symbolica. Philosophus enim, II *De generatione*, vocat raritatem aut caliditatem qualitatem symbolicam, pro eo quod manet eadem in supposito ignis, quae fuit in supposito aeris, dum ex aere generatur ignis. Unde rubedo, quae transit a supposito vini in suppositum aceti eadem numero dum ex vino fit acetum, est qualitas symbolica. Sed divina essentia per generationem transfunditur a supposito Patris in suppositum Filii. Ait enim Hilarius, IV *De trinitate*, parum ante medium, quod “in generatione Filii naturam suam indemutabiliter sequitur Deus, indemutabilem gignens Deum” quasi dicere velit quod per generationem transfunditur divina essentia, <quoniam> [quam Vb] immutabiliter sequitur ipse Deus. Igitur divina essentia per modum formae symbolicae communicatur.

126 Praeterea, quando aliqua forma per productionem non attingitur nec capit quod sit, sed magis aliquid capit esse per illam, talis non dicitur aliquo modo generari, sed per modum symbolicae formae communicari; ut patet quod raritas non dicitur generari cum ignis generatur ex aere, sed magis transfundi et transmeare. Sed probatum est supra quod per generationem essentia non capit quod sit, sed quod Filius per eam Deus sit. Ergo non potest dici generari, sed modo formae symbolicae transfundi et communicari ac quodam modo transmeare.

127 Praeterea, si poneretur quod anima existente in corde, in prole dum organizatur, processu temporis generaretur brachium, cui anima existens in corde pro perfectione communicaretur,

non relinquendo cor quod primitus perficiebat, non dubium quod vita et anima diceretur communicata a corde brachio per generationem, nec tamen diceretur aliquo qualiter generata. Similiter igitur in divinis; deitas per generationem non attingitur ut subiectum, nec ut formalis terminus; sed transfunditur ut forma symbolica et communis. Unde omnes opinantes procedunt ab insufficienti, quasi non sit aliquis modus quo, per generationem, genito aliquid acquiratur nisi modo subiecti aut modo formalis termini. /Vb 128vb/ Est autem alius, puta modus formae communis, quam symbolicam vocat Philosophus et suus Commentator. Quomodo autem qualitas symbolica sit eadem numero in generato et corrupto – quia in tractatu III *De physicis principiis* extitit declaratum – relinquitur ad praesens.

128 Istis tamen obviare videtur quia qualitas symbolica non transfunditur nisi quatenus aliquod subiectum communicatur, manens idem in generato et corrupto. Sed ad hoc dicendum quod verum est in accidentibus, quae indigent subiecto; in forma vero subsistente, qualis est deitas, potest esse symbolica communicatio absque communicatione subiecti. Adhuc autem obviare videtur quod, quando compositum producitur per se, tunc partes non videntur communicari per modum formae symbolicae, sed magis per accidens generari. Raritas enim dicitur forma symbolica et communis igni et aeri, quia est accidens et non est pars ignis; siquidem si pars esset, generaretur per accidens quantumcumque esset communis, sicut de materia patet. Sed dicendum ad hoc quod, si Filius produceretur productione passiva tamquam elicatum ab ea, et non tamquam constitutum formaliter per eam, tunc forte essentia dici posset per accidens generari, quoniam Filius generaretur per se. Sed quia Filius ex hoc dicitur generari, quod generatio passiva qua constituitur infertur a generare paterno, non oportet quod essentia aut per se aut per accidens a generare attingatur – Obviare quoque videtur quod communicare et communicari videntur esse productiones reales, et per consequens essentia attingitur aliqua actione reali quando communicatur. Sed dicendum ad hoc quod communicare et communicari differunt sola ratione. Quod patet quia idem potest communicare se. Unde homo dicitur sui communicativus. Quod esse non posset, si includerent productionem realem; nam idem non producit se. – Adhuc vero obviare videtur quod Filius erit ex nihilo creatus, et creatus per consequens, si essentia non sit id de quo subiective Filius generatur. Sed dicendum quod nulla res creari dicitur, cuius altera pars praecessit. Nunc autem essentia, per quam Filius existit et est Deus, praexistit in Patre. – Ultimo quoque obviare videtur quod Augustinus dicit, et Sancti omnes concordant, Filium generari “de substantia Patris”. Sed dicendum cum Magistro, distinctione praesenti in capitulo “Ostenditur quoque”, et infra, distinctione XIX in capitulo “Notandum etiam”, quod Filius non est de substantia Patris tanquam de materia, sed ly ‘de’ notat ibi transfusionem eiusdem substantiae per modum formae symbolicae et communis; sicut si Petrus gigneret Linum, in ipsum suam substantiam transfundendo, Linus diceretur de substantia Petri, quia consubstantialis illi. Unde dicit Augustinus, *Contra Maximianum*, libro III, capitulo 16 quod, sicut dicitur ‘Deus Deum genuit’, ita intelligi debet quod “Deus eiusdem naturae vel substantiae Deum genuit”, vel quod de substantia sua genuit Filium.

Et hic terminatur quartus articulus.

## D. <Responsio ad obiecta.>

### 1. Responsio ad primo obiecta.

129 Ad ea ergo quae superius primitus inducuntur dicendum est. Ad primum quidem quod Filius dicitur generari, in quantum formaliter constituitur per generationem passivam. Passiva autem generatio infertur ab activa absque hoc quod essentia inferatur, pro eo quod essentia et generari non sunt idem per repetitionem, cum quodlibet retineat /Vb 129ra/ suam realitatem; sed sunt idem quia fundant penitus eandem indistinctionem et unitatem ac simplicitatem, ut superius dicebatur. In illis autem, quae idem sunt per hunc modum, possunt aliqua affirmari de uno et negari de alio; non quidem alio, sed non eodem per repetitionem, ut dicebatur supra. Et per idem patet ad secundum.

130 Ad tertium dicendum quod nulla res capiens esse potest esse eadem cum dante illud esse, sive sit res illa personalis, sive essentialis. “In omnibus enim hoc tenet ita ut nulla natura hoc patiatur”, ut Augustinus dicit, I *De trinitate*, et Commentator, XII *Metaphysicae*, commento 38, quod, “si aliqua res exiret per se de potentia in actum, moveretur ex se”. Unde patet quod distinctio illa est vana quae dicit eandem essentiam posse gignere se, non tamen eandem personam; nulla quippe res quaecumque sit potest se ipsam conducere ad esse.

131 Ad quartum dicendum quod non est verum quod Filius sit essentia generata, sed est constitutum ex essentia et generatione passiva, non intelligendo tamen quod haec praepositio ‘ex’ dicat habitudinem partium, aut formae et materiae, ut dictum est supra.

132 Ad quintum dicendum quod maior est auctoritas Magistri Sententiarum in hac parte auctoritate cuiuscumque Sancti, quoniam confirmata est per ecclesiam. Sancti tamen intellexerunt quod essentia dicitur genita, hoc est communicata. Cum enim ait Augustinus essentia de essentia, lumen de lumine, ars de arte, semper subdit et ambo unum lumen, una essentia, una ars, ut notet communicationem eiusdem essentiae, non generationem. Et per idem patet ad sextum.

## 2. Ad secundo obiecta.

133 Ad ea vero quae secundo inducuntur dicendum est. Ad primum quidem quod Sancti non dicunt Filium generari de substantia Patris tanquam de materia; immo expresse dicunt oppositum. Ait namque Augustinus, VII *De Trinitate*, capitulo 10, quod non secundum communem materiam tres personae dicuntur una essentia. Unde dicendum quod ideo Filius est de substantia Patris, quia per generationem transfunditur in eum Patris essentia vel substantia.

134 Ad secundum dicendum quod non omne manens in tota transmutatione idem in numero dici potest materia vel subiectum, quinimmo potest esse forma communis et symbola, sicut patet de raritate.

135 Ad tertium dicendum quod Filius non est compositum ex essentia tanquam ex perfectibili et proprietate tanquam ex perfectione, quia essentia dicit totum et proprietas totum, ut saepe dictum est.

136 Ad quartum dicendum quod posse generare in divinis non est aliquid posse, sed est ipse actus generationis, cum generare non eliciatur ab aliqua potentia. Sed hoc magis inferius apparebit.

137 Ad quintum dicendum quod Filius non dicitur creari, cum aliquid quod est in eo, puta essentia, quae existit formaliter numquam possit non esse, proprietas etiam non potest dici creari, quia est necesse esse, nec aliquo modo claudens non-esse, nec actu nec potentia. Unde cum non sit nihil, nullo modo dicitur causari.

138 Ad sextum dicendum quod generatio passiva non praecedit Filium, nec est umquam in esse subiective. Unde in illo signo in quo concipitur necesse est ut cum essentia concipiatur, et per consequens intelligitur totus Filius constitutus.

139 Ad septimum dicendum quod essentia non est in Filio per modum subiecti aut fundamenti **/Vb 129rb/** relationis, cum sit ab ea penitus indistincta, ut saepe dictum est.

140 Ad octavum dicendum quod non est simile nec bonum exemplum de igne generante de parte suae substantiae, quia non transfundit eam per modum formae symbolicae, sed per modum materiae et substrati.

141 Ad nonum dicendum quod falsum assumit, scilicet quod divina essentia supra se assumat relationem. Magis namque proprie diceretur quod iuxta se assumit ut fundaret eandem indistinctionem.

142 Ad decimum dicendum quod ignis generans de aliena materia aut Pater caelestis de aliena substantia gigneret quasi de materia, pro eo quod illa substantia se haberet per modum substrati et fundamenti, quod non est in proposito. Propter quod similitudo non tenet.

### 3. Ad tertio obiecta.

143 Ad ea vero quae superius tertio inducuntur dicendum est. Ad primum quidem quod non est verum quod omne, per generationem datum vel communicatum, sit formalis terminus generationis, immo potest transfundi modo formae symbolicae. Unde propriissime deitas dari dicitur vel communicari vel transfundi in Filium per modum formae communis; per modum autem formalis termini nullo modo, ut dictum est.

144 Ad secundum dicendum quod terminus formalis generationis in divinis nullus est, ut dictum est in corpore quaestionis, proprie accipiendo terminum. Si vero accipiatur terminus improprie, videlicet pro primo illato a generatione activa, sic filiatio seu generatio passiva, quae idem sunt quantum ad rem, res quidem illa dicitur primo illata, eo modo quo “passio est effectus illatioque actionis”; nec propter hoc dicitur ad-aliquatio sed generatio, propter rationem quae tacta fuit.

145 Ad tertium dicendum quod ubi forma producitur vel capit esse per productionem, ibi verum est illam esse formalem terminum in quo genitum assimilatur generanti; ubi autem forma illa esse non capit, sed symbolice transfunditur quasi quiddam commune, non est verum quod sit formalis terminus, sicut patet in raritate quae remanet in igne cum generatur ex aqua. Assimilantur quidem ignis et aqua in raritate, nec tamen in illa generatione raritas est terminus formalis.

146 Ad quartum dicendum quod deitas est in Filio per modum quiditatis; sed quia est eadem in numero in Patre et Filio, idcirco non est formalis terminus generationis, sed transfunditur modo formae symbolicae et communis.

147 Ad quintum dicendum quod Pater dicitur generare Filium generatione univoca, non propter identitatem substantiae, sed quia relatio verbi est relatio imaginis et similitudinis; nam verbum est res posita in esse apparenti. Apparentia autem rei simillima est ipsi rei. Quia igitur ad talem imaginem generatio terminatur – infert enim illam apparentiam, quae idem est quod ipsum generari – idcirco generatio univoca dici potest aliquo modo; sed loquendo proprie, generatio ista nec sit univoca nec aequivoca, ut infra patebit.

148 Ad sextum dicendum quod generari modo formae nullo modo est perfectionis, quia includit acceptionem esse per generationem, quod non competit essentiae in divinis. Et si dicatur quod amota ista imperfectione potest habere termini rationem, dicendum quod haec est formalis ratio termini; et est simile ac si diceretur quod poneretur homo, remoto rationali.

149 Ad septimum dicendum quod optime tollitur ne Filius sit ex nihilo, quia aliquid eius prae-/Vb 129va/-cessit, videlicet id quo formaliter habet esse; non tamen propter hoc generatur illud per modum formalis termini, nec per modum subiecti, sed transfunditur per modum formae communis et symbolicae.

150 Ad octavum dicendum quod essentia in Patre non est formale principium generationis, cum generatio non sit aliquid elicited. Et quod additur quod omnes doctores sic dicunt, dicendum quod imaginatio decipit sic ponentes, ut dictum est in corpore quaestionis.

151 Ad nonum dicendum quod non est verum quod aliquid accedat ad essentiam divinam per generationem; sed verum est quod transfunditur divina essentia modo formae symbolicae per generationem. Generari namque et dici non potest esse aut concipi sine divina essentia; et ideo dum generare paternum infert generari, statim concomitatur essentia et resultat Filii persona, ut sic sit non generata essentia, sed per concomitantiam quandam communicata et transfusa.

#### **4. Ad quarto obiecta.**

152 Ad ea vero quae quarto loco inducuntur dicendum est. Ad primum quidem quod sapientia, lux, et lumen non supponunt pro persona ratione significationis, sed ratione appropriationis; appropriantur namque Filio, essentia nulli personae appropriatur.

153 Ad secundum dicendum quod, si essentia et persona essent idem re repetita et directe, posset deitas supponere pro persona. Sed quoniam unum sunt, fundando eandem unitatem et non in recto, unum pro alio non supponit quantum est ex vi significationis.

154 Ad tertium dicendum quod Magister exponit essentiam pro persona, cum dicitur essentia de essentia; et utique bene exponit, quia Sancti ibi sumunt essentiam pro persona, non quia ratione significationis sic debeat accipi, sed utuntur sic ratione expressionis identitatis essentiae. Unde intellectus eorum est quod sic Filius est a Patre, quod est una essentia et una sapientia.

155 Ad quartum dicendum quod essentia claudit in suo intellectu totam personam, non tamen in recto; et ideo non supponit pro ea. Et per idem patet ad quintum.